




DEDICATIO.

 Vantum Sol, VIRI SUMMI, PATRONI MAXIMI! coeli oculus, astrorum Princeps, omnibus stellis antistat, suâque luce cuncta illustrat: tantâ dignitate, tamque summô, quô splendet, excellentiâ decore, Metaphysica scientia aliis Philosophicis scientiis omnibus singulisque profectò major est, ut non nisi de eâ summam philosophicæ eruditionis & inenarrabilis Philosophiæ in Theologiâ usus lucem, eandemque clarissimam, nobis nunquam non sanctè polliceamur. Exhibet enim nobis contemplandum omnium rerum Autorem, *DEUM Ter Optimum Maximum*, cuius æterna Majestas & potentia ex rebus creatis satis superque elucescit. Exhibet hæc omnium terminorum explicationem & cognitionem, quibus in religionis negotiô nemo carere potest, & sine quibus etiam aliquis contra Adversarios vel parùm vel omninò nihil efficiet. Memorabile est, quod Boëthius narrat, cum in Nicenô conciliô omnes dicerent duas naturas & unam personam CHRISTI, neminem tamen scivisse quid PERSONA sit. Ex quâ etiam ignorantia factum est, ut cum aliqui dice-

a 3 rent